



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Frid. Adolphi Lampe S. S. Theol. Doct. Ej. Et Hist. Eccl.
Professoris Ordinarii, Delineatio Theologiæ Activæ**

Lampe, Friedrich Adolph

Herbornæ Nassaviorvm, 1728

Capvt X. De Tentationibus fidelium in hac vita & officiis ad Luctam
spiritualem contra eas pertinentibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-28501

CAPVT DECIMUM.

*De Tentationibus fidelium in hac
vita & officiis ad Luctam spiri-
tualem contra eas pertinentibus.*

SUMMARIUM.

*Post ostensum nexum generalem §. 1. agitur de TEN-
TATIONIBUS fidelium 2--28. hoc ordi-
ne ut*

- I. HOSTES Tentantes enumerentur 3--13.
- A. Caput eorum est DIABOLUS 3.
- B. Modus conflictus 4--13. est
1. Immediate 4. 5.
 2. Mediate per duplicem exercitium 6--
13. qui est
 - a. MUNDUS 7.
 - b. CARO 8--13.
 - a. Arma, quibus utitur 8.
 - β. Terribilis hujus hostis ratio demon-
stratur 9--13.
 - γ. Ex ejus indole 9.
 - δ. Ex ictibus, quos intentat 10
--13.
 - a. Per Tentationes Theoreticas
11.
 - b. Per Tentationes Practicas 12.
13.

II. FOR-

II. FORTITUDO in LUCTA describatur 14---

28. *que*

A. *Definitur* 14.

B. *Officia, qua involvit, inde deducuntur*

15---28.

1. *Quoad omnes hostes in genere* 15---25.

a. *Officia quaedam communia* 15---17.

b. *Officia quaedam particularia* 19---25.

a. *In pugna continuatione* 19. 20.

 N. *Sobrietas spiritualis* 19.

 D. *Constantia* 20.

β. *In pugna redintegratione* RESIP-

SCENTIA 21---25. *que*

 N. *Describitur* 21---24.

 D. *Momentum eius indicatur* 25.

2. *Quoad singulos hostes in specie* 26---28.

a. *Diabolum* 26.

b. *Mundum* 27.

c. *Carnem* 27.

I.

Quamvis Opus Domini in credentibus constanter ad perfectionem feratur, multis tamen *Malis* in decursu stadii hujus vitæ expositi sunt, quorum diversitas specialia Remedia requirit. Ad duas classes illa referre possumus, *Tentationes* nempe & *Afflictiones*. Illas ut *Malum morale*, has ut *physicum*, consideramus. Contra singulas *miles* & *viator* Christianus muniendus est. Illas *Fortitudine* in obnitendo; has *Patientia* in ferendo franget. Aliquando utrumque malum in eodem objecto concurrat, & tum

& tum prudens remediorum *compositio* desideratur.

II. TENTATIO, Πειρασμός, vox est media. Nam & Deus *tentat* suos, sed *ad bonum*. In *malam* partem sumtum comprehendit *quancunque ansam* & *irritationem ad peccandum*. Cum autem talis *irritatio* impiis cum piis communis sit, posterius *incitamenti malorum* genus hic intelligimus; id nempe, quod pressius solet tanquam MILITIA & *Certamen spirituale* depingi, per quod *Inimicitia* in *Paradiso terrestri* inchoata exercetur & promovetur usque ad plenam victoriam cum ingressu in *caelestem Paradisum* expectandam. Ordo ergo postulat, ut primo dispiciamus, quomodo *Bellum* hoc *credentibus moveatur*, ac deinceps inde deducamus, quomodo in eo *ferere* debeant.

III. Ad Belli, quod fidelibus infertur, indolem intelligendam tam HOSTES, quam *Ictus* & *Impetus* eorum explicandi. Hostium Caput est DIABOLUS, cum emphasi dictus *Inimicus ille* Ps. VIII. 3. Matth. XIII. 28. 29. quo etiam nomina *Satan* & *Diabolus* & *Tentator* pertinent. Infensum ejus animum delineat Apostolus 1. Petr. v. 8. Illum tam *immediate* quam *mediate*, idque jam *vi*, jam *dolo* utens, effundit.

IV. *Vim immediatam* Diabolus exercuit in *corpore* Jobi. An etiam in alia corpora fidelium unquam similem potestatem exercuerit, ignoramus. *Energumenos* enim cur inter fideles adnumeremus, causa non apparet. Forte tamen *apparitiones*, quibus aliquando fideles *terrere* conatur, huc non male referentur, quamvis earum

rum quoque evidens exemplum in sacris non occurrat.

V. In *animas* autem eorum, cum *vim* illis adhibendi potestatem amiserit, *μεθοδείας* tamen varias Eph. VI. 11. etiam *immediate* illum exercere, licet ratio sentiat, ob analogiam tamen inter operationes *bonorum* & *malorum* Angelorum admitti potest. Huc ergo referantur cogitationes subitanæ atrocitate sua, sive ad peccandum illiciant, sive terrores ad desperationem ducentes immittant, horrorem incutientes, quæ *tela ignita* in omni emphasi appellari merentur Eph. VI. 16. In posteriori cogitationum genere, quarum potissimam heic rationem habemus. se probat esse *Διαβόλον*, *Calumniatorem* & *Κατηγορον*, *Accusatorem fratrum* Apoc. XII. 9. 10.

VI. *Mediate* duplici exercitu contra pios utitur: *externe* Mundo. *interne* Carne in ipsis fufpente. Non quasi semper *immediate* per *Mundum* & *Carnem* operetur. Tanta enim pravitas his subjectis inhæret, ut per se, etiamsi Diabolus non semper *ἀπὸ μηχανῆς* intercedat, ad validissimas Tentationes sufficiant. Diabolo tamen utrumque hunc Hostem Scriptura subordinat, tanquam *Principi hujus mundi*, & *Serpenti pulverem comedenti*.

(1) Quia omnem nocendi vim ab ejus seductione primæva acceperunt.

(2) Quia imperium in utrumque sibi tribuit.

(3) Quia per mundi & concupiscentiarum carnis servitutem ejus voluntas impletur.

VII. MUNDUS appellantur vel in *abstracto* res tam jucundæ quam asperæ, *quæ in mundo sunt*, vel in *concreto* homines præsentis ævi carnales. Utrumque tanquam adversarium sibi fideles considerant 1. Joh. II. 15. Ps. XVII. 14. Unde amicitia Dei atque Mundi simul subsistere nequeunt Jac. IV. 4. Rom. XII. 2. Exercet autem Mundus pios

(1) *Blandiendo* sive per *vanas ratiunculas*, quæ in *errorem* præcipitant, sive per mala *spectationum exempla*, quo & *prava consuetudines* referri possunt, sive per *lucris ex Bonis apparentibus* percipiendi *promissionem*.

(2) *Terrendo* tum *directe* tum *indirecte*.

(a) Ad *terrorem directe* incutiendum pertinet, quicquid homines ex odio veritatis ac pietatis ad eam *supprimendam* moliuntur, sive per *irrisiones* aliaque *opprobria* leviora, sive per *violentas persecutiones* ac *martyria*, Joh. XV. 18. 19. 20.

(b) *Indirecte* eodem aliquando referri possunt quæcunque *Afflictiones*, quæ piis in hac vita contingunt, quatenus per illas ad *impatientiam*, aut ad *sinistras de Providentia Dei cogitationes*, aut ad *Media illegitima* illis se *exsolvendi* sollicitantur.

VIII. CARO propria inter *hostes* credentium præcipuum locum occupat Rom. VIII. 23. Gal. V. 24. 1. Petr. II. 11. Per illam intelligitur *instita unicuique homini* & *superstes in ipsis regentis natura* per *peccatum corruptio*, quæ cogitationum innumerarum ad *actus peccaminosos* irritantium

scatur

scaturigo est Jac. I. 14. Matth. xv. 18. 19. Ad-
moveret autem *Caro* machinas suas:

(1) Per *cœcitatē*, quæ *intellectum* obum-
bravit.

(2) Per *cogitationum* circum objecta varia con-
tinuo volitantium *levitatem*.

(3) Per *præjudicia*, quæ alte hærent.

(4) Per residuam in ipsis Sanctis *inconstan-*
tiam circa Bonum & Propensionem in Malum.

(5) Per *affectuum* motus nondum satis com-
positos.

(6) Per *Legem in ipsis membris corporis*, qua
belligerat adversus Legem in mente Rom. VII. 23.
Legem hanc imponunt variæ Sensuum impres-
siones tam cum voluptate quam dolore conjun-
ctæ, quarum tamen aliud corpus præ alio magis
capax est.

IX. Quamvis *Hostis* hic ultimo ponatur loco,
maxime tamen omnium terribilis est & creden-
tes fatigat, ut constat ex querela Pauli, qui
tot aliis certaminibus feliciter defunctus erat
Rom. VII. 15. 19. 24.

(1) *Hostis* hic est proximus atque immediate
animæ imminens.

(2) *Hostem* hunc habere, jam per se est pec-
caminosum & maledictione dignum. Ipsum *ten-*
tari per *Carnem* ad peccatum est *peccare*. Quid
enim est illa *Caro*, præterquam nos *carnales*?
Et quid est per eam *tentari*, nisi primos ad pec-
candum motus in corde suo jam sentire? Unde
sola hæc *Tentationis* species in Filium Dei non
cecidit Hebr. IV. 15.

(3) *Hostis* hic est maxime *universalis* ad singu-

la momenta vigilantī, dormienti, ad extremum usque vitæ halitum præsens & imminens.

(4) *Conspirat* cum reliquis hostibus, qui absque *Carnis* consensu nocere non possent. Est quasi *hiatus* & *fissura*, per quam *Satanas* & *Mundus* in animam penetrant. Neque antea tentatus peccat, quam ex quo per *Carnis* inclinationem in objecta externe proposita assentiri incipit.

X. Hoc ipsum uberius confirmatur, quando perpendimus ipsam *Tentationum* materiam sive *Ictus*, qui intentantur, qui nihil aliud sunt, quam ipsæ illæ *Cogitationes* contra *Legem Dei* pugnantes & in actum paulatim maturescentes, quas objecta externe per *Satanam* & *Mundum* adnota excitant. Tales *Cogitationes* non ad *Intellectum*, peccati per se non capacem, sed ad *Voluntatem* solam & potissimum ad *Judicium* pertinent, per cuius obnubilationem ac corruptionem pravæ concupiscentiæ in regenitis incenduntur. Possunt nihilominus dividi in *Tentationes Theoreticas* & *Practicas*.

XI. *Tentationes Theoreticas* nominamus, per quas *judicium* inducitur, si non in errorem, saltem in *dubitationum* circa *dogmata fidei* fluctus, per quos illa in controversiam vocantur, quæ de *Scriptura sacra*, de variis virtutibus divinis, quin de ipsa *Dei* existentia, de mysterio *Trinitatis*, de operibus *Providentiæ* & *Redemptionis*; de *vita futura*, firmiter credita sunt.

XII. Magis communes sunt *Tentationes Practicæ*, per quas *judicium* circa illas veritates, quæ proxime *Legem Dei* constituunt, pervertitur.

Quam-

Quamvis enim *præcepta generalia* ita insita sua luce micent, ut vix scrupulus de iis subire possit, quamdiu regeniti sana mente gaudent, nihilominus in *applicatione* eorum ad *singulos* casus secundum varias circumstantias considerandos, non solum facillime perplexi hærent, sed etiam variarum levissimarum ratiuncularum probabili specie in deteriorem partem inclinantur.

XIII. Ad duo autem genera illæ possunt referri.

(1) Interdum *Fides* ipsa sollicitatur, quoties peccatorum commissorum atrocitas animum perturbat, sive illa *per se* censeantur esse *irremissibilia*, ut v. gr. ubi quis blasphemiam contra Spiritum S. se reum esse putat; sive *per circumstantias*, quales sunt multitudo & diuturna in iis *perseverantia*. Hic sæpe Diabolus ignorantia & temperamento fidelium abutitur.

(2) Plerumque autem illectio ad transgressionem normæ *Sanctitatis* instituitur, quæ in utraque tabula Legis divinæ exhibetur, quo pertinent omnes casus residuæ in credentibus corruptionis passim a nobis observati.

XIV. Ut *Miles Christianus* contra tot Hostes persistat, quædam circa *omnes* in genere, quædam circa *singulos* observanda erunt. Virtus generalis, quæ hic requiritur est **FORTITUDO**, sive ille *fructus Spiritus sancti*, quo regeniti persuasi de *sufficiencia gratiæ in ipsis habitantis promissionumque divinarum certitudine non solum animum non despondent, sed etiam vires divinitus concessas impendunt ad superandum omnia obstacula, donec optatam metam attigerint.*

XV. Fundamentum hujus Fortitudinis est *Fides*, qua Regeniti persuasi sunt, tum *in genere* de sufficientia Gratiae & firmitate Promissionum Dei; tum *in specie* de seipsis, quod Gratiae hujus initialiter participes evaserint, adeoque Promissionum Dei implementum sperare possint. Hæc quo clariora sunt, eo majorem reddunt Luctatoris spiritualis confidentiam. Hinc Fides tanquam generale medium victoriæ de quibuscunque hostibus reportandæ consideratur 1. Petr. 1. 5. Hebr. XI. 33--35. De Diabolo 1. Petr. v. 9. De Mundo 1. Joh. v. 4. De Carne, ejusque triplici concupiscentia Hebr. XI. 24--26.

XVI. Duplex autem *Fidei* negotium in hæc Lucta est, ab una parte animum hostium multitudine & atrocitate perterritum erigere, ab altera parte *in conflictu* ipso fideles dirigere atque ita actuosos reddere, ut feliciter depugnent. Quid huc pertineat, in compendio proponitur Eph. VI. 10--18. Nam generale officium vs. 10. expressum, in sequentibus ita deducitur, ut vs. 11--17. describatur illa *armatura Dei*, quæ requiritur, comprehendens arma varia tam ad *defensionem* quam ad *offensionem* idonea. Illuc pertinent *Baltheus veritatis*, *Thorax justitiæ*, *ocrea Evangelii Pacis*, *Scutum Fidei* & *Galea salutis*. Ad hæc spectat *Gladius verbi Dei*. Nulla pars hujus *παινω¹ίας* est, quæ non mediante Fide indui atque exerceri debeat.

XVII. Ut autem sufficiens Fidei mensura ad hanc pugnam acquiratur & conservetur, duo alia adminicula debent addi, nempe *Precepto* & *Vigilantia* vs. 18. Hæc eadem conjungit Servator
Matth.

Matth. xxvi. 41. Luc. xxi. 36. Perpetua inter
hæc duo alternatio requiritur. Per *Vigilantiam*
tam contra interiorem, quam exteriores hostes,
illi mature detegendi 1. Theff. v. 6. 7. Per *Preces*
robur tam ad vigilandum, quam ad oppugnan-
dum ac vincendum est impetrandum 2. Chron.
xx. 12.

XVIII. Varias autem hæc Pugna pro variis
vicissitudinibus vitæ spiritualis nanciscitur formas,
quæ singulæ sua officia requirunt. Aut enim
Pugna continuanda, quando in ea recte versamur,
ne succumbamus; aut si per imbecillitatem no-
stram succumbimus, *redintegrandam* erit.

XIX. Ad *continuationem* Pugnæ præter officia
commemorata requiritur *SOBRIETAS* spiritualis,
qua *animus ab omni obnubilatione, sive per præjudi-
cia sive per cupiditates carnis, liber congruum de
Hostium indole ac certaminis ratione conceptum ha-
bet, per quem idoneus redditur ad mature & pru-
denter e vestigiis prospiciendum singulis difficultatibus,
quæ subnascuntur* 1. Cor. ix. 24. 25. Eadem virtus
alias describitur sub emblemate *Accinctionis* Luc.
xii. 35. & *Depositionis oneris* gravantis Hebr. xii.
1. Hæc *Sobrietas* 1. Petr. v. 8. *Vigilantiæ* recte
conjungitur, quia ne quidem absque illa
rite *vigilare*, multo minus cæteris certaminis
partibus pares esse possumus.

XX. Porro & *CONSTANTIA* adjungi debet,
quæ hic relate ad Pugnam spiritualem heroicam
illam virtutem designat, per quam Miles Chri-
stianus *diuturnitate militiae suæ non defatigatur, sed
strenue pergit in resistendo hostibus spiritualibus,*

etiam post victorias quasdam reportatas de novo semper imminentes, donec omnibus cum morte ipsa superatis triumphum perfectum de iis agat. Hæc Constantia urgetur Eph. VI. 13. Hebr. XII. 3. 4. Jud. VI. 3. Confer, quæ de Constantia quoad singulas actiones Lib. I. c. IX. §. 54. sq. & de Perseverantia in Statu Gratia cap. præced. §. 6. sq. dicta sunt. Singulare hujus Constantia momentum est in Pugnae spiritualis aggravatione, quam interdum caussatur

(1) Plurium Tentationum tam *internarum* quam *externarum* concursus Pl. 111. 2. 3. XLII. 8.

(2) Derelictio & subtractio Gratia divinae tam *consolantis*, quam *sustentantis*, sine qua fideles non possunt vel per momentum subsistere Job. VI. 4. 11--13. 2. Chron. XXXII. 31.

XXI. Circa Pugnae *Redintegrationem* observandum est, quod Heros noster, quamvis prostratus jaceat, quotiescunque per Tentationes in peccatum est abreptus, propterea tamen de victoria non desperare, sed vires suas de novo colligere, atque ita sub auspiciis Ducis sui ad conflictum continuandum se incitare debeat. Huc pertinet, ut per repetitam sæpius *Resipiscenciam* lapsi identidem resurgant.

XXII. RESIPISCENTIA hæc iterata quoad actus, quibus exseritur admodum analogæ est illi, quæ tanquam primæ Conversionis potissima pars a nobis Lib. I. cap. 2. §. 20. sq. descripta est. Quamvis enim non requiratur tam generalis totius naturæ innovatio, quoniam regentus in atrocissimis etiam lapsibus propositum cordis nunquam mutavit; neque *scopus* esse queat

queat æternæ salutis impetratio, cujus donum est ἀεταμελητόν; nihilominus cum nova peccata novam culpam atque maculam comparaverint, per eandem viam hæc repetita purificatio debet institui, per quam initialis facta est. Exempla Davidis ac Petri in hanc rem conferri possunt.

XXIII. Involvuntur ergo per hanc *Resipiscen-*
tiam sequentia.

(1) Quoad Intellectum præparatio ad illam fit per *scrutinium* de peccato commisso, ejusque magnitudine & causis Thren. 111. 4.

(2) Præcipue tamen in voluntate sedem habet.

(a) Quoad Judicium nova adest *Agnitio* tum peccati, cujus scæditas per ipsa beneficia, quibus Deus antea amoris sui experimentum dedit, exaggeratur; tum *necessitatis* & *magnitudinis Gratiæ* divinæ, quæ ipsam hanc infidelitatem remittere vult Ps. LI. 5. 6.

(b) Quoad Voluntatem nova sanctæ *propensionis*, quæ cineribus quasi tecta fuit, *suscitatio* per repetitam a peccato *aversionem* & ad Deum *adversionem* accedit; dum

(α) *Tristitia* propter peccatum commissum cor humiliatur, quæ affectus pudoris, detestationis sui ipsius, sæpe etiam angoris, conjunctos habet, & semen novum lætitiæ spiritualis in se continet Ps. xxxviii. 5--7.

(β) *Propositum* in animo redintegratur ad Deum redeundi, idque absque dilatione, cum recentissima vulnera facillime curentur.

(γ) Unde sequitur illico propositi hujus

sinceri per *actus* analogos declaratio, quales potissimum sunt supplices *Preces*, atque per illas

(N) Confessio humilis Pf. xxvii. 5.

(O) Novum ad Deum in Christo confugium per petitionem remissionis peccatorum & auxilii divini ad ambulandum posthac in viis Domini cum majori fidelitate & constantia Pf. li. i. 12.

XXIV. Gradus autem *Resipiscencia* sunt diversi. Datur enim *quotidiana*, quæ pars est singulorum *Precum*, nec non præparationis ad usum Sacramentorum. Ab hac distingui debet *extraordinaria*, quam hoc loco potissimum intendimus, quando fideles per Tentationum impetum in atrociora peccata inciderunt, atque iræ divinæ signa animadvertunt, quæ magis solenniter placanda est.

XXV. Summa hujus *Resipiscencia* fidelium est

(1) *Necessitas*, quia Deus peccatum etiam in maxime dilectis filiis exosum habet; quia sensus gratiæ divinæ per peccata non expiata diu potest obnubilari; quia summa in illis elucescit eorum, qui jam initia amoris divini nacti sunt, ingratitude; quia liberorum genuinorum hæc indoles est, ut ne per momentum quidem possint tranquilli esse, quando Parentes offensos norunt.

(2) *Utilitas*, quia arreptione nova justitiæ Christi conscientia vulnera sanat; quia tanquam superstitis Gratiæ salutaris indicium prostratam spem erigit; quia majorem sollicitudinem in posterum instillat; quia cum novi favo-

favoris divini experimento solet conjuncta esse.

XXVI. Quæ contra singulos singulorum Hostium conflictus conducunt, per experientiam optime addiscuntur. Contra *immediatas Diaboli Tentationes* observandum quod sit Hostis maxime imbellis, cujus omne jus quoad electos est abolitum, adeoque a nimio terrore cavendum, & imperus ejus tanquam hostis debellati per Christum contemptu ulciscendi sunt.

(1) Quoad *impias cogitationes* est tenendum, illas fidelibus non esse imputandas, quoniam eas detestantur.

(2) Suggestionibus ad desperationem sollicitantibus sufficientia meriti Christi erit componenda; quæ par est omnibus peccatis, etiam illis, quæ *irremissibilia* nominantur, quamvis ea in regenitos non cadant.

XXVII. *Mundo* ut fortiter resistatur, vanitas omnium ejus tum *illecebrarum* tum *angustiarum* alte animo insigenda est, sive in *abstracto* spectemus *Bona*, *Malave* in hoc mundo occurrentia, sive in *concreto* personas, quarum aut *favorem* ambimus, aut *iram* timemus. Hanc in rem

(1) Frequenter comparatio est instituenda inter *Deum* & *creaturas*, inter *corpus* & *animam*, inter *tempus* & *æternitatem* Matth. xvi, 26. x. 28. Jof. lv. 2. Pl. lxii, 9. 10.

(2) Comparatio hæc in hypothesi applicanda est ad casus occurrentes etiam minores, ad pudorem nobis incutiendum, quoties Bonorum mun-

